

[Publicado previamente en: *Revue des Études Anciennes* 1, 1899, 253-256]

Epistula scripta in latere nondum cocto et nuper inventa in Hispania cum comentario Aemilii Hübner

Emil Hübner

[-253-]

Indefessae industriae et doctrinae diligenti iuvenis Hispani nobili loco nati, Marchionis de Monsalud, debetur monumentum epigraphicum singulare, quod Hispaniae solum eius generis monumentorum fertile et adhuc minime exhaustum nuper protulit. Statim mihi submissum officiosissime ab inventore legi et interpretatus sum una cum eo et cum alio amico Hispano doctissimo, Patre Fideli Fita Matritensi. Quae opera coniuncta nobis videmur repperisse prodeant in novo hoc archio studiis Hispanicis destinato et alios incitent ad emendanda ea, quae fortasse minus feliciter nobis cesserunt in legendo interpretandove, et ad supplenda, quae nondum contigit enucleare. Ceterum qui quaerunt de condicione operarum, qualis aetate imperatorum Romanorum fuerit, sive eorum qui in praediis rusticis serviebant, sive qui in figlinis aliisve operibus similibus, novis argumentis ex hac epistula desumptis eam illustrare poterunt.

Villafranca de los Barros in Extremadurae Hispaniae oppido later fractus in partes duas, sed minime laesus, repertus est a. 1899, longus m. 0,52, altus 0,35; servatur *Almendralejo* in aedibus editoris. Litterae altae sunt circiter m. 0,02, inaequales, scriptura, quae in latere nondum cocto scalpta est stilo currente, mixta est curiose e generibus scribendi tribus, monumentali sive quadrato, unciali quod dicimus sive rotundo, cursivo; saeculi eam puto II exeuntis vel ineuntis tertii esse.

MAXIMVS NIGRIANO
ETHOCFVITPROVIDENTIA
ACTORISUTPULLAMQVCIAM
FETOTLERATMITTERES
ILLAMACTALELABOREUT
MAXIMVS DOMINICVS
PERIRETQVITAMMAGNO
LABORFACTVS FVERAT
ETHOCMAXIMVSFECIT
TROFIMIVSFOETLCASTI
ILLUMQVASIEXOMNI
CLOSUS EST

[-253→254-]

Descripsi ex ectypo chartaceo et imagine photographa quam perfectissimis el prorsus instar archetypi, missis a Marchione de Monsalud, qui servat et edidit *Boletín de la Real Academia de la Historia*, vol. XXXIV, anni 1899, p. 416 ss.

λ cursiva est, carens plerumque linea transversali.
B et **b** (v. 8), **D** et **d** (v. 6), **E** et **ε**, **Ϸ**, **h**, **M** et **Ϸ**, **N** et **n**, **Q** et **Ϸ**, **Ϸ**.
T, **V** et **U** iuxta usurpantur.
F, **R**, **S**, **Γ**, caudas habent longiusculas, ut in scriptura cursiva.

Textus

*Maximus Nigriano. | Et hoc fuit providentia | actoris, ut puellam, qu[e] iam | fetu
tollerat, mitteres | illam, ac tale labore ut | mancipius domnicus | periret, qui tam magno |
labori factus fuerat, | et hoc Maxima fecit | Trofimiani fota; et casti | ga illum : quasi ex
omni | closus est...*

(Quae sequuntur non intellego.)

Commentarius

V. i. *Nigriano* clare legitur, non *Nigrino* nec *Nigriniano*, quae sunt nominum formae vulgares; fortasse errore scribentis exciderunt inter *i* et *a* litterae *ni*.

V. a. *Et hoc fuit providentia actoris* verba respondent eis, quae sequuntur v. 8 *et hoc Maxima fecit*. Providentia videtur ablativus esse; *fuit providentia actoris, ut mitteres* breviter dictum est pro *factum est providentia actoris, ut mitteres*. Cum ironia acerba dictum est illud *fuit providentia a., ut puellam mitteres illam*, pronomine in fine posito cum emphasi, sed loco minus consueto; cuius tamen collocationis non puto deesse exempla in scriptis optima aetatis. Nisi praefers cum a mico quodam meo Latine perquam docto *illam* pronomen intellegere adverbialiter positum pro *viam illam* sive *missionem illam*.

V. 3. Actorem, cuius nomen hic tacetur, Trofimianum esse infra v. 10 nominatum probabile est. Fuit autem actor sine dubio fundorum praediorumve domini (v. 6).

Puella que — rustice pro *quae*, nam ita videtur legendum, non *qui*, ut legerat editor, magis etiam barbare — *iam fetu tollerat* dictum est pro *quae iam fetum tulerat* vel *sustulerat*, i. e. infantem pepererat. *Tolli* et *tolleram* formae aliunde notae sunt.

V. 5. *Ac tale labore* legimus editor et ego; nam *c* quamvis minus perfecta tamen discernitur. Non igitur neque *at tale(m) labore(m)* legendum, ut ego primum legeram, neque *a tale* — pro *tali* — *labore*, [-254→255-] ut amicus meus proposuerat, scilicet sensu eodem atque ablativus simplex sine *a* praepositione. Nam *ac* copula, quamquam non necessaria, enuntiati partem, quae ab *ut* particula pendet, postposita illa non sine elegantia quadam dictionis, apte iungit cum praecedente, quae ab *ut* prior pendet.

V. 6. *Mancipias domnicus*, rustice pro eo quod esse debebat *mancipium domnicum* sive domini.

V. 7-8. *Qui tam magno labori factus fuerat*. Non puto *labori* ablativum esse, quamvis sensus vocabulorum, qui ita nasceretur, non abhorreret ab hominum illorum nativa simplicitate loquendi. Nam facere filios pro gignere hodie quoque usurpatur ab Italis et Francogallis sine ulla obscenitatis suspitione. Sed potius illud dicere voluit scriptor mancipium fuisse factum ad tam magnum laborem aliquando suscipiendum; ut *magno labori* dativus esset. Labor autem ille magnus, cui puella succubuerat cuique destinatus erat fetus eius, utrum agrestis fuerit servorum fundi rustici an fortasse figlinarum non liquet; hoc probabilius. Figlinas ibi quondam fuisse grandes aliunde constat; etiam hodiernum oppidi nomen, *de los barros*, i. e. ab argilla, inde derivatum est.

V. 9. *Maxima*, quae cum Maximo epistulae scriptore potest fortasse parentela aliqua coniuncta fuisse, quod appellatur *Trofimiani fota*, aut substantivum est pro eius matre vel uxore vel concubina, quam foverat, aut ab eo fotam indicat vel eo inductam, ut puella illa a Nigriano mitteretur ad laborem improbum suscipiendum. Nam non puto *maxima fota* intellegi posse de *fota* vel filia aetate maxima. Immo substantivum erit, cuius tamen exempla desidero.

V. 10. *Trofimiani* per *f* litteram scriptum est ex consuetudine saeculi eius nota. Trofimianum ut castiget Maximus hortatur Nigrianum utpote auctorem facinoris, quo perierat mancipium domini. Trofimianum actorem esse supra iam proposuimus.

V. 11-12. *Quasi ex omni closus est*, si modo plena est sententia nec continuatur in eis, quae in margine addita sunt, videtur significare quasi ex omni parte exclusus est a recta ratione agendi. In versu hoc extremo adiecta est sive littera sive signum hoc € , quod potest aut *e* esse aut *c*. An illud tantum significat, ut quaedam sequantur adiecta in margine? Diudicaremus facilius, si adiecta illa in margine transversa, ita ut nos quoque facere solemus in litteris spatio deficiente, omnino intellegerentur.

V. 1 in margine incipit aut ab I, nisi illa caudae pars est, quam *t* littera habet secundum huius scriptoris consuetudinem longiorem in FECIT vocabulo v. 9 ultimo. Quae sequuntur ELTUNTESIA satis clare quidem leguntur, [*i*]elluntesia, sed non magis intelleguntur quam reliqua. Formarum verbi Graeci admonet ...*tunt*es illud.

V. 2 ineunte m perspicua est, quae sequuntur litterae tres vel [-255→256-] quattuor obscurae: Α Ι Ι Τ. Ultima earum aut Γ est aut et ipsa pars caudae magis etiam productae, quam *t* litteram FECIT vocabuli liabere modo dixi. Inde a fissura lateris satis perspicua sunt haec LNCET)CIPOS, ...*inceti cipo*s.

V. 3. Ante fissuram videntur excidisse litterae aut plures aut una tantum integra et pars alterius: [*tr*]es a *Lacip*... *Lacipaea* oppidum erat Tarmestinatorum vel Termestinatorum non procul ab Emerita situm, aliquanto magis remotum a Villafranca; dixi de eo in *Ephem. epigr.* VIII, p. 365. Sed in fine huius epistulae num scriptum fuerit a *Lacip[ea]* vel a *Lacip[ina]* non discerno. Unde totius postscripti huius sensus mihi prorsus obscurus manet. Certum illud tantum est, non legi posse quae quam vis dubitanter proposuit editor: *hic limes L a monte Lanceti cipo*s *Termes a Lacipina*, vel [*fig*]e *limes l(atifandii) a monte Tanceti cipo*s, *Termes a Lacipiha*; nam sensum haec praebent nullum. Ne divinando quidem assequor, quae hic scripta fuisse dicam, utrum cohaereant cum antecedentibus an denuo incipiant et nomina contineant fortasse locorum, qui *cipos* [*tr*]es distabant. Latina certe sunt, non barbara sive peregrina; sed qui interpretabitur erit mihi magnus Apollo.

Ceterum qui haec scripsit Maximus, servus puto libertusve in fundo dominico agens, quamquam linguae vulgaris specimen nobis exhibuit praeclarum, tamen non destitutus erat ab omni cultu litterarum ut dicendi genus demonstrat simplex illud quidem, sed non sine quadam gratia. Fecit indignatio disertum; quod scribendi consuetudinem sequitur non doctam, sed qualis illa aetate inter eius generis homines obtinebat, non mirabimur. Versiculos claudit cum fine vocabulorum, uno excepto (*casti | ga*, v. 10). Si forte intellegemus aliquando, quid in epistula extrema dixerit, etiam certius indicabimus de ingenii eius dotibus.